INNOCENTIUS III. PAPA · IOHANNES DE LIGNANO · MISCELLANEA

Salzburg (?), 2. Hälfte 15. Jh.

Seite 30r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Sanctus sanctus sanctus. Hympnus iste partim angelorum partim hominum verba complecti-
tur. Nam in ysaya quod seraphin clamabant alter ad alterum et dicebant Sanctus
sanctus sanctus dominus deus exercituum plena est omnis terra gloria eius. Illud quod in evangelio quod qui precedebant
et qui sequebantur clamabant dicentes Osanna filio david benedictus qui
venit in nomine domini Osanna in altissimis. Vox angelorum trinitatis et unitatis
in deo commendat archanum. Hominum divinitatis et humanitatis in christo personat sacra-
mentum. Sed tamen prefacionis officium ad id referri. Nam Iheronimus asserit in te-
nachim magnum tractatum in quo multa locutus est cum discipulis suis et gratias
agens hympnum retulit deo patri quem Johannes evangelista destribuit. Ipsi dum
conversus essent trans torrentem cedron. Unde quod dicit Mattheus Et hymno dicto
exierunt in montem oliveti. Gelasius papa tractatus et hympnos composuit
et sacramentorum prefacionibus cauto quidem et elimato sermone dictavit.
Sixtus autem hympnum sanctus sanctus sanctus cantari instituit. **Exposicio prefacionis**
Monet igitur sacerdos ut corda sursum ad dominum habeamus secundum **omnes**
exhortacionem apostoli dicentis Que sursum sunt sapite non que super terram.
Nam ubi est thezaurus tuus ibi est et cor tuum. Multi quippe dum ore loqu-
untur celestia corde meditantur terrena. Quibus dominus improperat per prophetam
Populus hic me labiis honorat cor autem eorum longe est a me. In qualibet igitur
oratione periculum est sed in ista periculum. Cor habere divisum ab ore ut os hec
dicat a corde. Nam qui semetipsum non audit nec deus ipsum exaudit. Cho-
rus igitur respondens profitetur se monita sacerdotis suscepisse. Dicit
Habemus ad dominum. Diligenter igitur provideat ne cor habens deorsum ad solum
spiritui sancto dampnabiliter mentiatur. Sacerdos autem postquam attentos red-
didit et devotos hortatur ut Gracias agamus domino deo nostro. Quoniam ipse est deus id est
creator ipse est dominus ~~redemptor~~ id est receptor ipse est noster id est sal-
vator. Vel ut enim est verissime noster cum sit omnia in nobis id est sufficiencia
singulorum. Ipse est igitur deus quia de nichilo nos creavit ipse est dominus quia suo sanguine nos
redemit ipse est noster quia sui munere nos salvabit. Vel creando dedit nobis
naturam vel redimendo dedit graciam. Qui remunerando confert gloriam. Cho-
rus igitur fidens sacerdotis verbum approbat et affirmat. Dignum inquit et iustum
est. Dignum est converti ad dominum Quia ipse est dominus deus noster. Iustum est converti
ad nos Quia nos sumus populus eius et oves pascue eius. Vere dignum et iustum
est equum et salutare. Nos tibi semper ubique. Dignum quia nos mera volun-
tate fecisti. Iustum quia nos pura misericordia redemisti. Equum quia gra-
tuito nos iustificas. Salutare quia perpetuo nos glorificas. Gracias agere
tibi domine sancte ubique pater omnipotens semper eterne deus. Unde
psalmista In omni loco dominacionis eius benedic anima mea domino. Et iterum
Benedicam domino in omni tempore semper laus eius in ore meo. Per christum dominum nostrum
Advocatum enim habemus apud patrem Iesum christum iustum qui
interpellat pro nobis. Et ipse est propiciacio pro peccatis.